

No. 563. 1366. 1. Juni.

*Probst und Capitel erklären unter wörtlicher Einschaltung der vorstehenden Urkunde, dass der jezeitige Vicar des Altars der heil. Vincentius, Valentinus und Pancratius in der Domkirche eine bestimmte Geldsumme von den in Binnewitz erkaufte Zinsen jährlich zu empfangen habe.*

In nomine domini amen. Nos Albertus dei gratia praepositus, Theodericus eadem gratia decanus totumque capitulum ecclesiae Mynensis tenore praesentium publice profiteamur — quod collector reddituum, proventuum et obventionum nostrorum capitularium, qui pro nunc est vel in futurum pro tempore fuerit, tenetur et debet discreto viro domino Theodorico Pechsteyn vicario altaris beatorum Vincentii, Valentini et Pancratii martyrum in ecclesia Misnensi praedicta suisque in eadem vicaria successoribus, iuxta tenorem litterae sigillis reverendi in Christo patris domini nostri Johannis episcopi ecclesiae Misnensis et nostri capituli sigillatae, qui inferius annotabitur, annis singulis perpetuis sex solidos grossorum latorum, tres videlicet in festo beatae Walpurgis et tres in festo Michahelis in Misna de bonis in villa Benewicz prope sanctum Gothardum situatis, emptis et comparatis apud strenuum militem dominum Johannem de Milticz solvere et pagare. Tenor vero litterae, de qua superius fit mentio de verbo ad verbum per omnia dinoscitur esse talis:

In nomine domini — — — pluribus fide dignis.

In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem praesentes litteras nostri capituli maioris sigilli appensione fecimus roborari.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 564. 1366. 12. Juni.

*Probst und Capitel beurkunden, dass ihr Mitglied Conrad Pruse aus Verehrung gegen den vormaligen Bischof Benno eine unter die bei dessen jährlicher Gedächtnissfeier anwesenden Domherren und Vicare zu ertheilende Spende gestiftet habe.*

In nomine domini amen. Universis Christi fidelibus — Albertus Knüt praepositus, Theodericus de Gogch decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis salutem in domino sempiternam. Fons et origo etc. Cum itaque venerabilis pater dominus Benno, nostrae quondam ecclesiae praedictae gloriosus pontifex, qui in humanis adhuc agens multa gloriosa bella certaminis pro eadem ecclesia nostra, sponsa sua gessisse et tanquam murus pro eius iuribus et libertatibus in magna fidei et dilectionis constantia sedulo stetisse non ambigitur, per haec et alia praeclara merita patenter ostendens zelum dei et domus eius insuperabilem habuisse, propter quae ipsum, licet nondum sanctorum decalogo per canonizationem militantis ecclesiae, cui de occultis iudicare denegatur, ascriptum triumphantis ecclesiae militiae et sanctissimorum confessorum numero in celestibus aggregatum inmerito dubitatur, prout vitae ipsius in hoc seculo prodit historia, et miraculorum, quae ad tumulum eius divina ipsius